



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXLVIII. Ioannis Papae VIII. Ad VValam Episcopvm Metensem. Ne  
cogatur sponsus vxorem ducere ab alio corruptam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CXLVIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVALAM EPISCOPVM METENSEM.

Ne cogatur sponsus vxorem ducere ab alio corruptam.

*Reuerendissimo & sanctissimo Vvaleno venerabili episcopo  
Metensi.*

**P**RÆSENTIVM portitor literarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter coram nobis veniens questus est de sponsam suam, nomine Vvalatam, adhuc in parentum domo manentem, adulterino concubitu a presbytero quodam prægnantem repertam. Quæ confessa de criminе, libenter ab eo se vult dissociare: sed tua fraternitas pro quadam parentelæ affinitate, coacte eum cogit eamdem sumere in coniugium, contra regulas patrum, atque institutionem. Quapropter, si ita est, requisitis super his legum & Canonum institutis, quid de talibus præcipiant promulgare absque personarum acceptione. Data vt supra.

EPISTOLA CXLIX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM EPISCOPVM TICINENSEM.

Vt cum quodam, qui pœnitentiam quinquennio egerat, remissius agat.

*Ioanni venerabili episcopo Ticinensi.*

**L**ATOR præsentium coram nobis veniens dicit, se a prædecessore vestro Liuttefredo venerabili episcopo, quinquennio exacto iam anno, pœnitentiæ fuisse submissum, pro quodam, eo quod interfuit, fure a femina interempto: qua de re vestra fraternitas solerter prospiciat. Et, si ita est vt hic asserit, propter Domini misericordiam, quoniam magna est, cum eodem consultius agat, & prout ordo causæ dictauerit, frenum canonici vigoris remittite. Velsi quidquam, quod non optamus, impossibile perpensum fuerit; id nostro iudicio vestra fraternitas studeat lenitate spiritus reseruare. Data vt supra.